

ΣÙΘΕΩ.

QUÆSTIONES RHETORICÆ,

TROPORUM ET FIGURARUM
DOCTRINAM CONCER-
NENTES.

Quas

Benevolo Ampliss. Fac. Philosophicæ
consensu,

In Regiâ Academiâ Aboënsi,
Sub PRÆSIDIO

V. C.

M. MARTINI MILTOPÆI,
Eloq. Prof. Publ.

Candidæ eruditorum censuræ

In Auditorio Max.

Modestè offert & exhibet

JOHANNES JOH. LÖNNR.
O-Bothniensis,

Ad diem Martij, Anni clo loc lxxix.

ABOÆ,

Excusæ apud Petr. Hanson. A. Typogr.

145 P. Gabriel Pedanusi

*Per quam Reverendo & Clarissimo
V I R O,*

DN. M. OLAI Bratt/ Ecclesiæ Dei
in Wasa Pastori meritissimo, Mecænati
& Promotori meo devota animi obser-
vantia devene rando :

DN. ALBERTO Gierden/ Redi-
tuum exactori Regio in Bothnia Orientali,
Patri, filiali obsequio colendo :

DN. JACOBO Rosß/ Consuli Wasen-
sium attentissimo, & summâ animi vene-
ratione prosequendo :

DN. WILHELMO Rosß/ Consuli
ipidem Neocarleburgensi æquissimo, Pro-
motori meo propensissimo :

DN. JOACHIMO Wergentini/
in urbe Aboensi Negotiatori primario,
Benefactori multis nominibus hono-
rando :

DN. HERMANNO Rosß/ Nego-
tiatori ac Senatori Wasensi spectatissimo,
ac obsequioso cultu amplectendo :

*Exercitium hoc Rhetoricum
do ac dedico,*

*JOHANNES J. EÖNNI
O-Bothn.*

Maximam benè dicendi artem adferre utilitatem omni vitæ generi, non solum eruditii ostendunt, sed quotidiana etiam experientia luculentè testatur & comprobat. Unde mirari soleo, quid illis in mentem veniat, qui illam susque deque habent. Absque hac enim Theologus, verbum Dei auditores suos docere, aliusq; viam salutis monstrare non ritè potest. Nec Politicus animi sensa & negotia publica expedire absq; bac arte valet. Imo nec illi qui castra sequuntur, sive duces sive milites, arte dicendi sine magno incommodo carebunt. Solem itaq; mundo demseris si hoc humanæ societatis præsidium è medio sustuleris. Quis itaque est qui eam non amet, colat, eique discenda omnem operam impendat? Hujus cum non minima partem contineat præsens materia,

taque eam **Vestrīs** clarissimis no-
minibus dedicare non dubitavi, ut-
pote qui hanc quotidie, Promotores
benignissimi, exerceatis, atq; hujus ar-
tis cultores maximi facitis. Hoc itaq;
exercitium sereno vultu atque benigno
animo, ut soletis, accipite atque me
submissum clientulum favore vestro
dignemini. Quod si feceritis, non
est quod plus solenni votorum for-
mula poscam. Ego vicissim studia
et officia quæcunque à me expectari
possunt, vobis fore paratissima atque
promptissima sine loci aut temporis
exceptione promitto atque spondeo:

Vest:^m Nom: Clarissimorum

Officiosus cultor

Joh. J. Lōnii.

Esa. 28. Manda, remanda, expecta re-expecta. &c.

13. Hypallage est quo rerum structuræq; ordo invertitur. ut, dare classibus austros, id est, austris classes.

CAP. VIII.

DE AFFECTIONIBUS TROPORUM.

Quæst. I. An Tropus habeat affectiones & quænam illæ sint?

Communes troporum affectiones, distinctas eoru species constituere non possunt. Atque Catachresis, hyperbole & allegoria sunt communes affectiones: Catachresis enim non tantum est Synecdoches sed & Metonymia, &c. Allegoria non tantum est Metaphoræ affectio, sed & Metonymia, Ironia & Synecdoches: hyperbole non tantum afficit Metaphoram, sed etiam Metonymiam & Synecdochem: Ergo distinctas Troporum species non constituunt. Quicquid ergo non est de Tropi essentia, id est ejus accidens sive proprietas & affectio: sed Catachresis hyperbole & Allegoria non sunt de Tropi essentia, sed communes saltem affectiones: Ergo.

Hic nota I. ἐνΦασιν à non nullis constituit affectionem Troporum (ut facit Vossius & Timplerus) que est cum vocabulum adhibitum singularem habet vim. E. g. Invadunt urbem somno vinoque Sepuleam. Significantius est Sepultam, quam oppressam. sed in voce sepulta est Metaphora hyperbolica. Ita in illo Ter. Adelph. a. 3. s. 3. Tu quantus, quantus nil nisi sapientia es. sapientiam vocat per Emphasim, sed est Ironia hyperbolica: si sine Ironia diceretur, tunc est Metonymia hyperbolica.

2. Nota non nullos inter affectiones Troporum referre etiam Metalepsin, illam videlicet quando in una voce plures concurrunt Tropi E. g. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. ubi per aristas intell. segetes, &c. per Synecd. partis, per segetes & statas per Meton. subjecti, per æstates ουνεκδοχικῶς annos. Sed usus hujus μεταλήψεως cū rarior sit inter affectiones à plerisque non agnoscitur, sed saltem plures tropi in una voce dicuntur concurrere.

Affectiones Tropi alias dividuntur in Generales; eæque exigunt:

1. Ut Tropus sit acutus

2. Concinnus.

3. Vc-

3. *Verecundus.*

4. *Ut non sit coactus.*

5. *Ut non sit procul petitus.*

6. *Ut sit perspicuus.*

7. *Ut usus ejus sit moderatus.*

sunt ergo leges observandæ circa Tropos.

Speciales affectiones sunt hæ tres, videlicet *catachresis* vel durities, *hyperbole* vel audacia, *allegoria* vel continuatio tropi unius generis vel diversorum.

Qv. 2. Quid est Catachresis & unde dicta?

Catachresis est affectio tropi, quæ vocem aliquam licentius & durius à propriâ significatione in alienam deflectit. Unde Ramo cuiuscunque Tropi duritia dicitur, & Ciceroni ad Brutum ac Fabio l. 8. κατὰ λέξιν transfertur abusio. à verbo καταχρεῖσθαι, abutor. Itaque & ἀκυρος vel ἀκυρολογία à Grammaticis dicta est, hoc est impropria locutio: quamquam verò vi hujus notationis omnis tropus possit dici catachresis, hic tamen specialius sumitur, pro tropo duriori & inæqualiori. E. g.

Levit. 26. 30. Fragmenta simulacrorum dicuntur cadavera, per Metaphoram diuiriorem.

2. Sam. 23. 17 *An sanguinem istorum hominum qui abiverūt pro animabus suis biberem.*
Aquam quam viri tres attulerant, vocat sanguinem eorum, per M. tonymiam duriorem.

Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Peccatum inhabitans vocatur *lex,* per metaphoram duriorem.

Æneid. 4. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Et perferre soror potero. Sperare protimere.* Pro Marcello: *Gladium vaginæ vacuum non vidimus, id est nudum ut haber*

Livius. Ter. in Eunuch. *hunc commendum & deridendum vobis propino.*

Auson. *Vini cibique abstemius.*

Æn. *Instar montis equum divina Palladis arte edificant.* Metaphora durior Fabio visa.

Hor. I. 4. Od. 4. - - - vel Eurus
Per Siculas equitavit undas. Audax vide-
tur Tralatio.

Æneid. 6. *Ferrei Eumenidum thalami.*
pro loco in quo commorantur Eumenides;
neque enim Eum nuperunt.

Virg. Eclog. 6. *Pafiphaen virginem vocat,*
per ἀκυρολογίαν.

N.B. etiam ad κατάχρησιν referenda sunt
 illa cum pro Persona ponitur adjunctum
 quod non est sed fuit. E.g., Matth. II. *Cæci*
vide-

vident, claudi ambulant, surdi audiunt.
Rom. 4. Afferit Paulus Deum justificare impium, id est, hominem antea impium sed postea conversum. Huc spectant & illa cum voce consulis, questoris, rectoris, &c. intelligitur homo qui fuit antea consul, questor, &c.

Qv. 3. Sed quomodo κατάχενσις durior mollienda est?

Κατάχενσις et si tropi durities est, tamen modum excedere non debet, ergo si durior videtur mollienda & quasi corrigenda est, præmissa Epiplexi sive castigatione, his & similibus formulis, ut ita dicam, ut cum veteribus loqvar, ut bujus vel illius authoris verbis utar. E. g. Inexplebilis librorum belluo, durior videtur κατάχενσις, sed si addas ut ita dicam, belluo, mollior appareat.

Qv. 4. Quid est hyperbole & unde dicta?

(Dicitur audacia Tropi) est affectio Tropi quâ veritas superatur augendo vel minuendo. Ab auctore ad Heren. dicitur exsuperatio, Cic. 3. de Orat. superlatio, Fab. 1. 8. superjectio. dicta à verbo ὑπερβάλλω id est exsupero, excedo, inde ὑπερβολὴ exuperatio, excessus. E. g. Candidior Cygno, Ocyor Euro, vermis pro-

homine, &c. Melle dulcior. Plus minies.
Testudine tardior.

QV. 5. Quotuplex est hyperbole?

Duplex

Au^ξητικὴ sive augens & μεωτικὴ sive minuens, hoc est αὐξησις & μείωσις.
Utroque enim modo medium exceditur, au-
gendo vel minuendo.

Αὐξησις est hyperbole quā veritas supera-
tur rei augendæ gratiâ. E. g. Gen. ii. 4.
*Exstruamus nobis urbem & turrim cuius caput
(fastigium) ad celos assurgat.* Gen. 13. *Ponam
semen tuum quasi pulvorem terræ.* Exod. 10.
Tenebrae palpabiles. Ps. 107.20. *De fluminibus
dicitur: ascendunt ad celos descendunt ad a-
byssos.* Matth. ii. *Et tu Capernaum quæ usq[ue]ite
ad celos exaltata es, usq[ue] ad infernos detra-
beris.* Matth. 20. *Non relinquetur hic lapis
super lapidem, qui non destruatur.* Joh. 21. 25.
*Sunt & alta multa quæ fecit IESUS quæ si scri-
berentur, nec ipsum arbitror mundum capere
posse eos qui scribendi essent liberos.*

2. Sam. i. 23. *Præ aquilis veloces fuerunt
Saul & Jonathan & fortiores leonibus.*

Scaligerum vocat Imperatorem orbis lite-
rati, Vossius l. 5. Inst. Orat.

Exod.

Exod. 3. 13. *Dabo vobis terram fluentem laete & melle.*

Virg. *It clamore celo.* *Vix ossibus harentur
De pecude macilenta. Codro pauperior, te-
studine tardior;*

Virg. Æneid. 7. de Camilla. *Illa vel intan-
etæ segetis per summa volaret Gramina, nee
teneras cursu læsisset aristas, &c.*

Plaut. *Cunate ut splendor clypeo meo sit clari-
rior quam solis radii esse olim cum sudum est
solent.*

Plaut. *Cujus tu legiones difflavisti uno spi-
ritu quasi ventus folia.*

Æneid. 8. de Navibus Cleopatræ: *Credas
innare revulsas Cycladas.*

Ironiâ hyperbolica: *Si cœcum dicas
Argo oculatiorcm. Nequitiâ nequior. Aristoteles Deus Philosophorum.*

Mētōsis est hyperbole quâ veritas supera-
tur rei minuendæ & extenuandæ gratiâ: E. g. Gen. 18. 27. *Ecce nunc cuperem alloqui
Dominum, tametsi ego sim pulvis Scinis, id est,
homo vilissimus.*

Psal. 22. 7. *At ego sum vermis, ac non vir,*
id est, homo afflittiſſimus.

1. Sam. 24. 15. *Persequeris canem mortuum
& pulicem unum.*

Num. 13. *Vidimus viros & eramus sicut lo-
custa commensis, id est minimi.*

Psal. 113. *Ex pulvere exaltare.*

Pindar. ονιὰς ὄναρ ἀνθρώποις, id est,
homo umbra somnum.

Erratum pro scelere.

Garges pro mari. Attactus pro pulsatione.

Cic. *Syllanus ager à certissimis hominibus
continuatus tamen habet invidiam, ut veri ac
fortis tribuni plebis stridorē perferre non possit.
Stridor pro voce.*

Qv. 6. *An hyperbolæ uti liceat?
Et an sint mendacia?*

Quamvis ὑπερβολικῶς & verè loqui op-
ponantur, non possunt tamen hyperbolæ
damnari, siquidem etiam Scriptura Sacra &
Spiritus Dei in scripturis loquens hyperbo-
lis usus est: & Scriptores profani cum Græci-
tum Latini, prout scripta illorum testantur.

Quanquam vero hyperbole rei veritatem vel
augent vel minuant, non tamen sunt mendacia
propriè dictæ, quia neque animo & proposito
fallendi diuerter, neque in illis est inaequalitas
orationis & mentis, quamvis rō pījōn in iis non
sit attendendum, sed ~~aliquovad~~: & in hoc omnis
hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio
veniat, ut eleganter inquit Senec. lib. 7. de
benef. c. 23.

Qv. 7.

Qv. 7. Quid est ἀλληγορία &
unde dicta?

Allegoria est affectio Tropi, in quo integra oratio à proprio sensu transfertur in improprium & alienum. Seu est Tropi unius vel plurium continuatio. Seu, est modificationarum vocum continuatio. Vox est composita ex ἀλλο, id est aliud & ἀγορεύειν dicere, quasi dicas diversiloquium. Vox etiam Apost. Paulo Gal. 4. 24. usitata: ubi duabus Abrahami uxoribus Sarâ & Agar ἀλληγορεύως dicit significari Testamentum Vet. & Nov. ^{αὐτινα} εστιν ἀλληγορία. αὐται γάρ εἰσιν οἱ δύο Διαβόλοι. &c.

Exempla: Gen. 3. 2. 15. Et inimicitiam ponam inter te (ό Serpens id est diabolo per metonymiam vel metaphoram, id est abominabilis homini factus) & inter mulierem (Synecdoche speciei pro genere) & inter Semen tuum per Metaphoram intelligitur tota Diabolorum caterva) & inter semen ejus (per semen mulieris ναζέροχην Messias seu filius hominis per Metonymiam intelligitur) ipsum conteret tibi caput (per caput intelligitur per metaphoram peccatum & mors quasi venenum Diabolicum in serpentis capite, & potentia Diaboli quæ in morte sita erat)

& tu conteres ei calcaneum, id est non illæsum dimittes

Zach. 3.10. *In diebus illis, dicit Dominus Zebaoth, vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum, id est, erit pax in terra.*

Eccles. 12. *Exstat allegorica senectus & mortis descriptio.*

In Canto Canticorum variæ Allegoriæ Metaphoricæ, de amore inter Christum & Ecclesiam reperiuntur.

Psal. 69:2. *Serva me Deus quia perveniunt aquæ usq; ad animam: demergor in canum profundissimum, ubi non est consistendi locus: ingredior profunditates aquarum & fluentum inundans abripit me. Pro doloribus & angoribus patientis Christi.*

Psal. 76. 1. 9. *Nam poculum in manu Jebova & vinum turbidum est plenum mixtione ex quo fudit: verum tamen feces ejus quas expresserint bibent omnes improbi terræ.*

Prov. 5. *Bibe aquam de cisterna tua & aqua de medio pulei tui. Fontes tui deriventur foras, in plateis rivi aquarum sint: & autem Dominus earum maneto.*

Matth. 3.10. *Arbor mala quæ fructus bonos non fert, exciditur & in ignem conjicitur.*

Matth.

Matth. 3:10. Cujus ventilabrum in manus ipsius & permundabit aream suam & colliget triticum in horreum suum, paleam autem exharet igne inextinguibili.

Huc refer parabolas alias in historia Evangelica, quæ nihil aliud sunt quam Metaphoræ Allegorice.

Ter. Eunuch. Sine Cerere & Libero friget venus, h. e. sine cibo & potu, perit voluptas. continuatio Metonymiæ est.

Ecol. 4 Alter erit cum Tiphias & altera que vobet Argo

Delectas Heroas : erunt etiam altera bella
Aique uerum ad Trojam magnus mittetur
Achilles.

Per Typhym gubernatorem, per Argo navim per Trojam civitatem, per Achillem viam fortis quemcunque. Synedoche.

Hor. Od. 12. l. 2. Contrahes vento nimium secundo Turgida vela, id est, ne rebus prosperis nimis effearis,

Cic. pro Roscio. Non necesse est omnes commemorare Curtios, Marios, deniq; Mamerkos, quos jam aetas a pralijs avocabat. &c. h. e. viros foras.

P. aut. Aulular Venit hoc mibi in mentem Megadore te esse hominem divitem, factio- sum

*Sum, &c. te bovem esse me asinum, ubi tecum
coniunctus siem, ubi onus nequeam ferre parti-
ter, jaceam ego asinus in luto. &c.*

QV. 8. QUOMODO SOLET ALLEGORIA DIVIDI?

1. Allegoria est Pura vel Mixta. Pura dicitur quæ merè sententiam modificat. E.g. Plaut. Epid. Act 1. sc. 1. *Utcunque in alto ven-
tus est ex imo velum verritur, id est, prout
tempora mutantur ita quoq; animi hominum
variant.* Ter. *Sine cerere & Libero, &c.* Mixta est quæ proprium adjungit ad maiorem claritatem. E. g. Cic. lib. 1. Top. *Sed quoniam avidum hominem ad has dicendi epulas recepi; sic excipiam ut reliquiarum sit aliquid potius, quam te bine patiar non satiatum discedere.* Si dicas ad has epulas omisla voce dicendi, erit allegoria pura. Miscentur vero propria, ut melius intelligatur allegoria.

2. Allegoria est uniformis vel multifor-
mis. Uniformis est quæ constat ex tropis unius generis. Multiformis est quæ constat ex tropis diversi generis.

3. Allegoria est vel apertior vel obscurior. Apertior est cum sensum habet planum & intellectu facilem,

Obscurior est, quæ sensum habet intellectu difficultorem : quales sunt Apologi Æsopici, paroemias seu proverbia, adagia, parabola & enigmata.

i. *Apologos & fabulas videre est apud Æsopum complures. Definitur Scaligerο narratio ficta (l. 3. de re poët. c. 84.) de re quam cum attributione πάθεις aut ηθεῖς, vel cum oratione, vel sene eā ut ad humanacommoda aliquid ex eā designetur. Quales etiam insacris occurunt. Jud. 9. Ubi Jobam apoloogo Sichemitas reprehendit constituentes sibi regem : Aliquando iverunt arbores ut crearent sibi regem ; dixeruntque oliva regna super nos, &c.*

Ita Nathan propheta Davidem reprehendit apoloogo 2. Sam. 12. Duo homines erant in civitate quadam unus dives, alter vero pauper. Diviti erant greges & armenta multa admodum : pauperr autem nihil quicquam nisi agna una parva quam emerat, quam alebat ut edisse caretur secum & cum filiis suis pariter : de frustro panis ejus comedebat & de poculo ejus bibebat, &c.

Sic Menenius Agrippa plebem Romanam cum in montem Aventinum secesserat, in urbem

110 Q U A E S T . R H E T O R .
bem revocavit narratione apologi de membris
humanis adversus stomachum conspirantibus.

Vide & Justinum l. 43. Canem aliquando
pariu gravidam locum à pastore precario pe-
tisse, in quo pareret: quo obtento iterum petisse
ut sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad
postremū adultū catulus, fultam doméstico præ-
sidio proprietatem loci sibi vendicasse. Non an-
liter Massilienses qui nunc inquilini videan-
tur, quandoq; dominos regionum futuros. &c.

2. Paræmia & Proverbia referuntur
ad Allegoriam obscuriorem, quæ Erasmus de-
finit celebre dictum scitā quapiam novitate
insigne. Ubi notandum proverbia etiam
proprio sermone posse constare, quales
yw̄μας multæ occurrūt inter adagia Erasmi.
Non est igitur omnis paræmia allegorica sed
quædam: E. g. Canis regressus ad vomitum
& sus lota ad volutabrum cœni. Adversus
stimulum ne calcitres.

3. Ad obscuriorem Allegoriā spectat Parabo-
læ quæ in historia Evangelica sunt frequentes.

4. Huc spectant Ænigmata. Nam si
obscuritas singularis continuato Tropo inest
yw̄μα id dicitur: dictum ab ἀνίντερος
quod est obscurè innuere ac rem involucriste-
gere. Notandum tamen non omne ænigma
esse

elle allegoriam, quia ænigma etiam propriis
vocabus constare potest. E. g.

Eclog. 3. *Dic quibus in terris, & eris mibi
magnus Apollo,*

*Tres pateant cæli ſpatium non amplius
ulnas.*

Causa vero obscuritatis ænigmatis est,
connexio illorum quæ impossibilia videntur.

E. g. Illud de glacie: mater me genuit,
eadem modo gignitur ex me.

Sic apud est currit, ventrem conjugi vo-
labit, cum caudâ comedes, & sine ventre bi-
bes: de muscato.

Aufonius Epift. 4. ad Theonem:

Aut adſit interpres tuus

Ænigmatum qui cognitor

Fuit meorum cum tibi,

Cadmi nigellas filias, id est, literas
quas Cadmus intulit Græciæ.

Melonis albam paginam, i.e. papyru
Niloticā, nam Nilus olim melo.

Notasq; furvæ ſepiæ, i. e. atramétum
quod è ſepiæ ſucco conficiebant.

Cnidiosq; nodos prodidit, id est, ca-
lamos ſcriptorios & quibus Cni-
dii cæteris præſtabant.

Et illud Diomedis: *Vidi carnem humanam*
offibus ludentem in campo ligneo, ubi erat
mare

mare concretum, id est tesserarium in alveolo tesseras jacientem, adstante proximè salino.

NB. Ænigmata non tam habete locum in Orationibus publicis, ne oratio fiat obscura, quam in Epistolis; quemadmodum Cicero etiam in Epist. ad Atticum testatur se quædam allegorijs obscurasse.

NB. Vossius negat continuationem Ironiæ posse dici allegoriam: rationem dat: quia si illud $\alpha\lambda\omega$ tam laxè usurpetur, omnis ironia etiam quæ continuata non est allegoria erit. Quare illud $\alpha\lambda\omega$ restringi debet ad aliud simile vel saltem conjunctum aut amicè conspirans cum eo quod dicitur, ut in tribus primis tropis sit: non item ad quiddam inimicum ac repugnans, qualia commutat Ironia. P. Ramus tamen probat

Allegoriam Ironicam esse ubi multæ Ironiæ conjunctæ sunt, ut in illo Cic. in Clod. integratus tua repurgavit mihi Crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit. Ram. p. 152. Sc. Rhet.

Timplerus etiam allegoriam Ionicam agnoscit, v. g. *Heus bone vir curasti probe.*

Eneid 4. *Egregiā verò laude spolia ampla refertis, &c.* CANONES.

1. *Allegoria non sit nimis crebra.*

2. *In allegoria ex quo rerum genere cæperis, in eodem desinas.*

3. *Allegoriæ Metaphorarum sunt frequen-
tissimæ.*

CAP.

CAP. IX.

DE SCHEMATOLOGIA,
SEU DE FIGURIS RHE-
TORUM.

Qvæst. I. In quo, secundò Oratio-
nis dignitas consistit?

R. In Schematibus seu figuris.

Qv. 2. Quid sit figura & unde
dicta?

Figura Latinis, Græcis $\chi\mu\alpha$, significat
habitum propriè, vestitum & ornatum cor-
poris, per similitudinem autem ad habitū or-
natumq; orationis traducta est; Cic. in Bruto.
Suntque orationis quasi formæ & lumina, quæ
Graci $\chi\mu\alpha$ appellant, ut est in Oratore.
Et in Bruto: $\chi\mu\alpha$ enim qua vocant Graci,
ea maximè ornant oratorem: eaque non tam
in verbis pingendis habent pondus, quam in
illuminandis sententiis. Figura est elocutio,
qua orationis habitus à rectâ & simplici con-
suetudine mutatur. $\chi\mu\alpha$ est à $\chi\epsilon\omega$, habeo.
Ramus lib. 5. definit: Figuram elocutio-
nenem in conjunctis verbis, quâ mutatur
habitus orationis. Fabius lib. 9. c. definit

Figuram, conformatiōē quāndā orationis, & motam à communi & primū se cōferrētā. Vel figura est forma orationis, quā hæc alio quopiam modo quam inversione significatiōnis à vulgari cōfuetudine immutatur in meliorem.

N.B. Cicero, quod sciam, non utitur figure vocabulo in hic sensu, sed posteriores Rhetores. Vocantur alias orationis forme, & per Metaph. orationis pigmenta, lumina, flores, stelle.

N.B. Cic. in verborum & sententiarum exornacionem dividit, lib. 4. ad Heren.

Qv. 3. Quotuplex est Figura Rhetorica?

Duplex: τοῦ λέξεως & διγνοίας, Dictionis & sententiæ: prout illas dividit etiam Fabius. Fabius lib. 9. c. 1. Quare si ut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu & in verbis. Ut vero natura prius est concipere animo res quam enunciare: ita de his figuris ante loquendum est, que ad mentem pertinent.

Figura dictionis agit de dictiōibus quibusdam in sententia, ideoque tamquam simplicior & natura prior est figuris sententiæ, tamquam compōsus.

Figura

Figuræ dictionis ad materiam ac veluti corpus orationis pertinent: *Figuræ sententiæ* vero ad formam quasi & animam. Prioribus illis, ut ait Vossius, magis propriè *schematis* nomen competit, quatenus habitum notat, qui propriè corporis est: at figuris *Allegorïæ* magis convenit, qua gestum schema interdum significat.

Qv. 4. Quid est figura dictionis?

Figura dictionis est, quâ oratio dictionibus aptè figuratur, vel certo ordine repetitis vel sono sibi concinnè respondentibus, emphasis & ornatus gratiâ. Differentiam Schematum verborum vel figurarum dictionis & sententiæ ostendit Cic. lib. 3. de Orat. h. v. Sed inter conformatiōnem verborum & sententiārum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutari: sententiārum permanet, quibuscunq; verbis uti velis.

Qv. 5. Quot sunt Figuræ dictionis & quomodo dividenda?

Cicerô in Topicis genera Figurarum arte certâ describi posse desperavit: ait enim rem infinitiorem, nec esse virtuosum, si quid in eorum partitione prætermittatur. Lib. 3: de Orat. 43, Verborum figuris efficit, in

Oratore canum septendecim; adeoq; sibi non constat. Fabius etiam quemadmodum in Troporum ita etiam in figurarū numero fallitur, quem in Sch. Rhet. Rami refutatum vide. Sed figuræ Orat. licet variæ sint, infinitæ tamen non sunt, ut ad certa capita & differentias revocari non possint. *Cauffinus* l. 7. de Elog. div. & human, ex antiquis rhetoribus ordine Alphab. recenset Figuras fere ultra ducentas & decem; sed confundit ille magno dissentiu incommodo, figuræ Grammaticas, tropos, & diversa troporum nomina, cum Figuris dictionum, sententiæ & amplificatiōnum, adeo ut illo figurarum ordine, nihil sit inordinatus.

Vulgò verò Figuras dictionis D E C E M constituant, cuius divisionis auctor est Ram. l. 17. Sch. Rhet. his verbis: estenim Figura verbi in repetitione similiū, aut leviter dissimiliū:

Similiū *continua*, Epizeuxis, Anadiplosis, Climax: *disjuncta* in eodem loco, ut Anaphora, Epistrophe, Symploce: in diverso, ut, Epanados, Epanalespsis: **Dissimiliū**, ut, Paronomasia, & Polypyton.

Dif-
fert Epizeuxis ab Anadiplosi & climate, quia in illa est repetitio continua in eadem sententia: in his verò est repetitio continua in diversis sententijs.

Dif-

Differt ab Anaphora, Epistrope Symploce, Epanalepsis & Epanodo, quia in his est repetitio disjuncta in diversis scil. locis, ita ut aliquid intercedat, sive in diversis sententijs.

N.B. Quia insingulis his figuris dictionis vocum sit repetitio, communis nomine nihil aliud sunt quam **repetitio**, quæ generatim à quibusdam definitur, varia ejusdem vocis vel emphasis vel ornatus causa resumptio.

N.B. Schemata λεξες Scaliger ad quatuor classes revocat: ita ut verba vel ratione essentiæ, vel quantitatis vel qualitatis vel situs figurentur, vid. Vossius si placet.

Qv. 6. Quæ sunt ergo singulorum dictionis figurarum definitiones & quomodo ijs utendum?

I. **EPIZEUXIS** (ab ἐπίζευξι, id est, subjungo, quasi subjunctio nominis, Cic 3. de Orat. geminationem verborum vocat.) Est cum idem sonus vel Syllabæ aliquujus vel dictionis unius pluriumve in eadem sententiâ repetitur.

Ponitur Epizeuxis primo loco quia simplicior est repetitio & continua ejusdem soni. E. g. Ubi sonus Syllabæ repetitur.

De respons. Harusp. *Hic P. Scipio natus mibi videtur ad interitum, exitiumque Cartaginis, qui illam à multis imperato-*

ribus (obfessam, oppugnatam, labefactatam, penè captam) aliquando quasi fatali evenitu solas evertit.

Cic. pro Roscio, *Estne quisquam qui tibi purior, prudentior, humanior, officiosior, liberalior videatur.*

In sequentibus Ex. voces iterantur :
Exod 34. 6 *Jehova, Jehovah, Deus misericors & clemens.*

Psal. 22. 2. *Eli, Eli, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?*

Eli. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth.*

2. Samuel. 18. 33. *Et conturbatus est rex & ascendit super cænaculum portæ & flevit & sic dicebat iuncto : Eli mi Absalom, filii mi Absalom, utinam ego mortuus essem pro te, Absalom fili mi, fili mi.*

Math. 23. *Ierusalem, Ierusalem.*

Ver. 7. *Crux, crux inquā infelici & misero.*

Ter. Andr. *ô Mytis Mytis.*

Pro Mil. *Occidi, occidi non sp. Melium &c.*

Hor. *ô Cives, cives, quærenda pecunia &c.*

Pro. reg. Dej. *Ignosce, ignosce Cesar.*

Eclog. 5. *Ipsa sonant arbusta Deus, Deus ille Menalca.*

Ec. Ab. Coridon, *Coridon &c.*

Interdum parenthesis, interponitur , & tam-

namquam parenthesis non sit, geminatio illa
continuatur. Hos. 2. 21 *Exaudiām, dicit
Jehova, exadiam cōlos.*

Pro Marc. Totum hoc (quantumcunque est)
totum est inquam tuum.

NB. Interdum Epizeuxis voculā aliquā
vel parenthesi intersecatur.

Sen. Medea: *parta jam, parta ultio est.*

U S U S.

Utimur Epizeuxi, ut inquit Fabius l. 9 c. 3.
*Vel amplificandi gratiā, vel emphasis unde
iteratio ista cum impetu profertur.*

I. ANADIPLOSIS (ab ἀναδίπλωσις, i.e.
reduplico, unde lat. sonat reduplicatio) est
quando eadem vox repetitur in fine praece-
dentis & principio sequentis sententiæ vel
partis etiam ejus. E. g.

Psal. 1. 1 *Levo oculos meos ad montes, unde
venit auxilium meum, v. 2. auxilium meum
a Domino, qui fecit cœlum & terram.*

Psal. 98. 4. *Jubilate Domino omnis terra,
vociferate & dicite præconia & canite;
v. 5. Canite Domino in cithara; in cithara
& voce cantus.*

Rom. 9. 10. *Gentes apprehenderunt Ju-
stitiam: justitiam autem eam quæ est esse
fide.*

Phil. 2. 8. *Factus Christus obediens patre
usque ad mortem; mortem autem crucis.*

Catil. 1. *Hic tamen vivit: vivit? imo vero
etiam in senatum venit.*

Item. *Quamdiu quisquam te defendere au-
deat vives, & vivas ita ut nunc vivis.*

Virg. Pierides vos hac facietis maxima
Gallo, Gallo cuius amor tantum mihi crescit
in horas.

Eclog. 8. 6. *Addit se sociam timideque su-
pervenit Ægle, Ægle Napidum pulcherrima,*

Eclog. *Crudelis mater magis an puer im-
probus ille, improbus ille puer, &c.*

U S U S.

Figura hæc non tantum svavitatem habet,
sed etiam emphasis.

III. CLIMAX (Lat. scala, gradus vel gra-
datio) est anadiplosis pluribus gradibus ita
continuata, ut antecedentis sententiæ ulti-
mum sive verbum, sive membrum in princi-
pio sequentis sæpius repetatur. *Est ergò affinis*
*Soriti, sed in eo differt, quod neque in con-
clusione principium, neque subjectum prima
propositionis, cum prædicato ultima conjungit.*

E. g. Hos. 2. 21. *Tum exaudiamus cœlos, &
ipsi (ali) exaudient terram: & terra ex-
audiens*

audiet frumentum & mustum & oleum :
& ista exaudient Israel. Israel, hoc est pio-
rum cœtus, quasi inclamat, id est, expectat
triticum, mustum & oleum . & hæc quasi in-
clamat terram, ut sœcum accipiant. Et terra
quasi invocat cœlum, calorem, pluviam, im-
bres, ventos & influentias : Et cœlum quasi
invocat Deum, causam omnium summam,
quo volente & puniente cœli fiunt quasi ænei
& terra instar ferri. Deut. 28. 23. Rursus ex-
audit Deus hominibus propitijs factus cœlum,
& cœlum exaudit terram dando pluviam, &
terra exaudit triticum : & hæc exaudiunt
Israel, hoc est, votis piorum respondent.

Joh. I. v. 1. *In principio erat verbum, &*
verbum erat apud Deum, & Deus erat
verbum.

Rom 8 v. 29. *Quos Deus præcivit eos*
& prædestinavit, &c.

I. Cor. II. 3. *Caput mulieris vir, viri*
Christus, Christi autem Deus.

Ad Herenn. Nam quæ reliqua libertatis
spes manet, si illa quod liber licet & quod
licet possunt, & quod possunt audire: &
quod audire faciunt & quod faciunt, vobis
molestem est.

Pro Milon. Nec vero se populo solum, sed
Hs Se-

Senatui commisit: Nec Senatui modo, sed etiam publicis praesidiis & armis: neq; his tantum, sed ejus potestati cui senatus totam rem publ. commisit.

Pro Her. l. 4. In Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria amulos comparavit. vide pl.

Ovid. 3. Fast. Mars videt hanc, visamq; cupid, poniturque cupitâ.

Eclog. 2. Torva leana lupum sequitur, lupus ipse capellam, Florentem cythimum sequitur lasciva capella.

Ubi transpositio vocis capella, disjunctionem aliquam sonorum parit.

USSUS.

Ad Her. l. 4. Habet in se quendam leporem superioris cuiusque cerebra repetitio verbi, qua propria est hujus exhortationis.

Fab. l. 9. c. 3. Climax apertiorum habet argumentum magis effectum, siccirco rarius esse debet: nec ferè nisi res ipsae habeant successiōnem aut gradus.

IV. ANAPHORA (ab ἀναφέω, i. e. refero, unde Lat. relatio dicta) est, qua sonus idem vel dictio eadem (vel plures) iteratur in principio clausularum. E. g.

Scimus.

SONUS ITERATUR in his : Tandem vexari rempublicam , contemni majestatem pop. Rom. deludi vosmet ipsos à tribuno plebis patiemini,

Agr. i. Solllicitam mihicivitatem suspicio-
ne, suspensam metu, perturbatam vestris le-
gibus & concionibus & seditionibus tra-
didistis :

DICTIO ITERATUR : Psal. 117 *Dextra* *Jehovæ* facit fortitudinem. *Dextra* *Jehovæ* facit excelsa, *dextra* *Jehovæ* facit fortia.

Crebra est in Script. S. hæc figura.

Psal. 3. *Jehova* quam multi sunt hostes mei , quam multi insurgunt contra me ; quam multi dicunt de anima meâ, non est ul-
la salus isti.

Psal. 148. *Laudate Deum de cœlis:* *Lau-*
diate eum in excelsis: *Laudate eum omnes*
angeli ejus: *Laudate eum omnis exercitus*
ejus. *Laudate eum sol & luna:* *Laudate eum*
omnes stellæ lucidæ. *Laudate eum cœli cæ-*
lorum & aquæ quæ supra cœlos sunt, &c.

Psal. 29. *Vox Domini super aquas, vox*
Domini in virtute, vox Domini in magnifi-
centia. *Vox Domini confringentis cedros.*

Rom. 2. *Qui doces alium teipsum non*
doces? *Qui prædictas non furandum, furaris?*
Qui decis non adulterandum, adulterium
committis. *Qui execraris simulacra, sacrile-*
giūm

gium admittis. *Qui de lege gloriariſ, per le-*
gis transgressionem Deum dehonestas.

Cic. i. Catil. *Nihilne nocturnum præsi-*
dium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor
populi, nihil consensus bonorum civium,
nihil hic munitissimus habendus senatus locus,
nihil horum ora vultusque moverunt.

Pro Cluent. *Legum ministri magistratus:*
legum interpretes judices: legum denique
servi sumus, ut liberi esse possimus.

Cic. pro Amer. *Accusant ij, qui infortu-*
nas hujus invaserunt: causam dicit is, cui ni-
hil præter calamitatem reliquerunt. *Accu-*
sant ij, quibus occidi patrem Sexti Rosci bo-
no fuit: causam dicit is, cui non modo lu-
ctum mors patris attulit, verum etiam ege-
statem. *Accusant ij, qui hunc ipsum summè*
jugulare cupierunt: causam dicit is, qui etiam
ad hoc judicium cum præsidio venit, ne hic
ibidem ante oculos vestros trucidaretur.
Denique accusant ij, quos populus poscit:
causam dicit is, qui unus relictus, ex nefaria
illorum cæde restat.

Est hic gemina anaphora, κατ' αντίθεσιν.

Ita eleganter duplicatur anaphora.

Virg. *Te dulcis conjux, te solo in littore*
secum, Te veniente die, te deceidente canebat.

Eclog. *Pan primus calamos cerâ conju-*
gere plures instituit; Pan curat oves, &c.

Propert. I. 2. Vino forma perit, vino corrumpitur ætas:

Vino sœpè suum nescit amica virum.

Idem l. 3. Auro pulsa fides, auro venalia jura;

Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

*Eneid. I. Tu mihi quodcumque hoc regni,
tu sceptra Jovemque concilias, tu das epulis
accumbere divum.*

N.B. Anaphoræ solet subici Poly syndeton, hoc est; ejusdem conjunctionis repetitio vel copularum abundantia: ut somnus & vinum & epulæ & scorta & balnea corpora atq; animos enervant. Liv. I. 8, Decad. 3.

Et Asyndeton, quæ est conjunctionis copulat. intermissio. ut Cic. Catil. 2. *Abiit, excessit, erupit, evasit,* Cic. pro Arch. hæc studia adolescentiam alunt, &c. Sed hæ ab alijs figuræ Grammaticæ vocantur, quamvis eò de ijs Rhetor agere possit, ut cognoscat usum illarum, videlicet: *Polesyndeton* facere orationem ampliorem & diversa melius oculis subjicere. *Asyndeton* vero ut concitata oratio rerum celeritatem & emphasis exprimat.

NOTA.

Anaphora cum multum venustatis habet, tum gravitatis & acrimonie plurimum. Quare videtur esse adhibenda & ad exornandam & ad augendam orationē, lib. 4. Her.

V. EPISTROPHE (quæ Cic. 3. de Orat. dicitur crebra ejusdem verbi in extremum conversio) est eum similis sonus in clausulis usurpatur. Similis vero sonus ille spectatur vel in *Syllabis* vel in *Vocibus*.

In Syllabis: E. g. Pro Pompejo: ut ejus voluntatibus non medo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.

Pro Milone: Est hæc judices non scripta sed naturæ lex: quā non didicimus; accepimus, legimus: verum ex ipsa natura arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus. Ubi etiam sunt Antitheta.

Huc spectant 1. Isocola, duo vel plura orationis membra similiter desinentia, quæ ferè pari syllabarum numero constant. E. g. Cic. in Pomp. Extrema hyeme apparuit, ineunte vero suscepit; mediâ æstate confecit. Idem pro Sylla: Permitto aliquid iracundiæ tuæ: do adolescentiæ: cedo amicitiæ. Dicuntur πάροις Gr. id est, æqualia vel similia similibus relata.

2. Antitheta, quæ sunt duo vel plura orationis membra diversa vel opposita. ut, ad quam legem nondicti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Pro Mil Non emissus sed immensus, non orator sed arator, Fab.

Cic. pro Postumo: *Egentes in locupletes, perdit i in bonos, servi in dominos armabatur.*

Nota antitheseos est: non, sed.

NB. Elegantissima sunt antitheta, in quibus paria paribus, contraria contrariis saepius respondent.

3. **Homojoptota**, id est, in eisdem casus desinentia. ut: *Annis mille jam peractis, nulla fides est in pactis. Mel in ore, fel in corde, verba lactis, frans in factis.*

Vel cum simili sono casuum dictiones & sententiae desinunt.

Homojoptota B. patribus sunt frequentissima & in canticis vet. Ecclesiæ. O lux beata Trinitas & principalis unitas, jam sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.

Rom. 12.15. *Gaudete cum gaudientibus, flete cum fletibus.*

Talæus c. 23. Addita sunt etiam ἀντίθεται ὥμοιόπτωται, quæ quamvis in sine, nihil tamen ad orbem concinnitatis hujus efficiunt: sed totum efficiunt similiter desinentium Ἀττιστοφῆς & conversione, quæ ideo ὥμοιόπτησται diuntur.

4. **Homojoteletoni**, (id est, similiter desinens) est cum quæcunque voces & verba simili sono in clausulis desinunt. ut, *Turgiter audes facere, nequiter audes dicere.*

Homojoteleuta differunt ab homojopto-
tis, quia in his tantummodo casus similiter
desinunt, in illis etiam verba & quæcunque
voces quæ casus non habent.

N O T A : Cic. in Orat. Quæ sive casus ha-
bent in exitu similes, sive paribus paria red-
duntur, sive opponuntur contraria, suapte
naturâ numerosa sunt, etiam si nihil est fa-
ctum de industria.

In Rythmis veterum de pœnis infernalibus
concurrunt Illocola, Antitheta, Homo-
jopt. & Homojoteleuta.

*Sunt ibi tortores, serpentibus horridiores.
Defarmes nigri, sed nō ad verbera pigri. (tur.
Nunquā lessantur sed semper ad hoc renovan-
Nunquam quissati, semperq; ferire parati.
Semper mordescunt, nec cessant nec requiescūe.*

Hactenus fuit Epistrophe in Syllabis: se-
quitur in vocibus.

Psal. 136. *Confitemini Domino, quoniam in
seculum misericordia ejus: ubi illà clausulâ
singuli versus finiuntur. Est etiam ibi ele-
gans symbole.*

Philipp. 2. *Deletis tres exercitus Pop. Rom.
esse interfatos? interfecit Antonius. Desi-
deratis charissimos cives? eos quoque eripuit.
Antonius. Authoritas hujus ordinis afflcta
est? afflixit Antonius.*

Martial.

*Virtutum & optimarum artium studiis
perpolito Juveni,*

DN. JOHANNI J. EDDMIO-Bothniensi,
Regii hujus Athenæi alumno indefesso,
Quæstiones has Rhetoricas edenti in publicum,
amico perdilecto, gratulari volui:

*V*ere novo campos ceu Flora colorib⁹ ornat,
Elicit & gemmas, arboribusq; decus
Conciliat: sic Suada tropis, variisque figuris
Sermonem exornat, pingit & eloquii (sive
Floribus omne genus scriptorū, ut gratia con-
Artibus & linguis, Pansophiæque simul.
Ut quoque cognoscas quis sit tropus, atq; figura,
Artis erit nostræ, Rhetoricesque bonum.
Talia Edm monstrarat tua dissertatio, quā nunc
Publica lux avibus aspiceretque bonis.
Et tibi sit laudi, patriæ ut prodesse juventæ
Ipse pius juvenis possis, id oro Deum.

Licet occupatiss L. tamen Mq;
MARTINUS MILTOPÆUS.

*N*on satis est promptū studiis subtilibus esse,
Ni quoq; Rhetorices condiat illa decus:
Rhetorices studiū sic cætera cuncta venustat,
Ceu pratum flores condecorare solent.
Hæc quia tu vigili studio sectaris amice,
Adjiciat coepitis Musa benigna decus!

Politiss. Dn. Respondenti felices in studiis
prefectus adprecatur, licet extemp-
tuali carmine,

OLAUS LAUREUS.
Q: Bothn,

*Præstantissime Dn. RESPONDENS
amico dilecto.*

Macte isthoc animo, egregie vir juvenis,
quo pergis in castris Minervæ militem
agere indefessum, in acie publicæ stare ca-
thedralæ, & flosculos Rhetoricos oculis more
triumphantis subiucere nostris. Eo ostendis
Te ex illorum esse numero, qui stilum nec
nimis affectatum, variisque hinc inde emen-
dicatis pigmentis luxuriantem, sed tersum
ac facilem, Rhetorices tamen ornatu molli-
ter aspersum, cum bonorum applausu, ama-
re ac servare didicerunt. Non pauci inveniu-
tur illi quibus strepitus ille externus, ad osten-
tationem compositus, mirum in modum de-
tortus & peregrinis vestitus plumis maximè
placet; sed selectioribus ac erectoribus inge-
nijs, moderata justaque arridet proprietas
& elegantia, cui rei condiendæ subserviunt
tropi ac figuræ, quarum rationem ac usum
tradunt ij qui Rheticam ex fundamento
scripserunt. Tu proinde, *Dn. Respondens ami-
co dilecto*, recte facis, quod in hoc studio
diligentem te præstiteris athletam, sic enim
facilime aditum ad Musarum interioria pala-
tia parabis, quod ut feliciter tibi honori, tuis
solatio & patriæ emolumento cedat, Deus
ab alto tibi animum & vires addere digne-
tur!

T. S.

ERICUS ESSEVIUS.

ANimum suum vanitatibus donant illi,
qui alto supercilio, ejus optimis artibus
expolitionem negligunt, satius ducentes in
Vulgi pulvere sordescere, quam salutaribus
Scientiae aquis mentem rigare. Scilicet cum
experiuntur se non posse nisi difficulter & ma-
ximo labore in studijs proficere, cum iter pla-
rimis laborum spinis sit obsitum, languescunt
contenti præludia tantum Sapientiae degus-
tasse. At hoc non sufficit, res majori impetu
est aggredienda, atque maxima assiduitate,
quæ ardua frangit, progrediendum est. Hoc
cum Te Dn. Respondens videa facere tibi gna-
tulor, & felicem successum appreco. Valeo.

JACOBUS FALANDER,
O-Bothn.

Est acer in Sylvis vestieum cortice pulchro.
Frödibus eximijs, folijsq; superbit amans
Ut mortale genus delectet, lætificetque.
Hujus imitaris naturam, dum sat agis jam
Discere rite Tropos, Sermonis lumina docti.
His etenim pulchre polies os & rationem
Ceu decorant uestes gemmæ, redduntq; politas
Hac ratione bonis, doctisq; placebis amitis.
Gratulor ergo Tibi, successus atq; precabor
Hiscetuis studijs: Nam qui caret arte loquendi
Ille erit exosus cunctis ceu barbara turba.

Eximio Dn. Patriotæ, festino calamis,
mente tamen amicâ gratulabat

JACOBUS ESSÈVIUS.

Quantam difficultatem ipsa natura pro-
posuerit literarum cultoribus, non opus
est late diducere, cum id magistrorum ex-
perientia abunde satis testetur. Etenim, ut
non omnes æque felici possint ingenio, ita
varijs curis, laboribus & molestijs die & nocte
luctari coguntur. Quæ omnia forti animo
in musarum castris miles perferre debet. Sed
reperiuntur tamen aliqui, qui postquam am-
aras studiorum radices degustarunt, vel ab in-
cepto penitus desistunt, & non expectare pos-
sunt dum jucundos fructus carpant, vel si his
immorantur, exteriora tantum lambunt;
quos omnes merito culpant & contemnunt
sapientes; illos verò laudandos & omni ho-
nore dignos esse judicant, qui bonis artibus
sedulo incubuerunt, quô Ecclesia & Reipub.
prodesse aliquando possint. Similiter perge tu
Dn. Patriota & sibi ut aliquando utile R. ipub.
membrum esse possis. Ego vero tibi ex ani-
mo etiam atque etiam hos in studijs profectus
gratulor Deumque obtestor, ut studia tua ad
optatam metam, honorem Dei, patriæ emol-
lumentum, parentum solatium tuumque
proprium commodum perducere queas,
Vale.

Hæc pauca adjecit

DANIEL Grandes
O-Borbo.

R. Diss. norm.